





~~III~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-19.*

SIGNAT. CLDCCCXIII.

*theol. theol. Vol. 40*

*einzelne verzeichnet 30/3. 1915.*



QUOD DEUS BENE VERTAT!

MICHAELIS  
ARCHANGELI  
CUM DIABOLO DE CORPORE  
MOSIS CERTAMEN.

EX DECRETO

*Plurimum Reverendæ, Amplissima & Specta-  
tissima Facultatis Theologica, in Incluta Salana,  
Ex Epistolæ Judæ versu 9. breviter delineatum*

in

DISPUTATIONE INAUGURALI

Quam

SUB PRÆSIDIO

*Viri Spectabilis, pl. Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi*

DN. CHRISTIANI CHEMNITII

SS. Th. Doct. & P. P. in Academia Jenensi celeberrimi, Col-  
legii Theol. h. t. DECANI, nec non Ecclesiæ & Dioceseos Jenensis  
Pastoris & Superintendentis Vicarii vigilantissimi,

Dn. Promotoris ac Fautoris observandi,

PRO LICENTIA

*Supremos adeundi in SS. Theologia honores, seu GRADUM  
Doctoris,*

Publicæ disquisitioni subjicit

M. JOACHIMUS Hecht/ hactenus Ecclesiæ  
Seehusensis in Marchia & vicinarum; nunc Templi Cathedralis ad  
S. Michaelis Archangeli apud Lunæburgenses vocatus Pastor,  
nec non Scholæ & Dioceseos Inspector.

*Ad D. XXXI. Augusti, Anno cl. lxx LIII. Horis ante- ac pomeridianis.*

JENÆ, Typis Caspari Freyschmidii











IN NOMINE SACROSAN-  
CTÆ TRINITATIS.

Præloquium.

**A**Rma Virumque Cano! *Ita Poetarum Princeps, memorabilis prælii imaginem representaturus. Mihi; cum ex sententia Veneranda Facultatis Theologica, tum ob præsentis temporis rationem (proximè enim futurum, ut ex Apocal. XII. v. 7. & seqq. de admirando prælio inter Michaelem, Angelum principem, ac Satanam sive Draconem infernalem gesto, Tempora personent) tum ob circumstantias alias de Certamine quodam inter Michaelem Archangelum & Diabolum, à Juda Apostolo descripto, agendum sit: nihil certè obtinere posset jucundius, quam ut vel suavi ore, arma virumque canere, vel docto calamo illud ipsum prælium satis depingere, concessum esset! At quia nimis angustis temporis spatiis fui-*

A 2

mus



mus inclusi, nec satis prolixam operam materia huic impendere integrum fuerit: veniam petere potius, quam insigne quid polliceri è re meâ esse duco. Tu verò Angelorum Princeps ac Creator, idemque vere Michael **CHRISTE JESU**, ita calamum & linguam meam dirige, ut in arcanos verbi tui recessus penetrare, illaque proferre sustineam; quæ ad Divini Tui Nominis gloriam & Ecclesie commodum unice vergant.!

POSITIO I.

Textum præsentem non minùs ac totam Apostoli Judæ Epistolam, ex qua ille desumptus, Canonica Scripturæ, quæ Spiritum Sanctum auctorem primarium agnoscit, partem esse, indubitata fide credimus. Nec obstat, quòd Historia hæc de certamine Michaelis cum Diabolo, non secundum circumstantias omnes in V. T. legatur.



Istoriâ hanc de pugna Michaelis ac Diaboli, cum primis tamen illa, quæ de Vaticinio Enochii traduntur in eadem Epistola, non paucis è veteribus dubitandi de ejus autoritate ansam præbuisse notum est.

E. pri.



E primitiva Ecclesia vel unicum hac de re Hieronymum  
audire placet. Is in Catal. Virorum Illustr. Tom. I. edit.  
Colon. p. 101. Lit. G. Judas, scribit, Jacobi frater parvam  
quidem, quæ de Catholicis est, reliquit Epistolam, & quia  
de libro Enoch, qui Apocryphus est, in ea adsumit testimo-  
nium, à plerisque rejicitur; tamen auctoritatem jam vetu-  
state & usu meruit. In quo secutus est Eusebium, qui p.  
62. edit. Basil. inter eos libros itidem hanc Epistolam  
refert, de quibus à nonnullis dubitatum sit: mox tamen  
addit: eos à quamplurimis Ecclesiis recipi. E recentiorum  
numero, Erasmus Roterodamus loquatur. Hic in  
Comment. in h. l. ita dicit: Locus quem hic citat Judas,  
sumtus est ex Apocrypho Hebræorum, & ut Hieronymus in-  
dicat in Comm. in Epist. ad Titum, ex libro, qui illis inscri-  
bitur Enoch; unde & ipsa Epistola non caruit suspicione,  
Hæc Erasmus. Nos quamvis inficias ire non velimus,  
suspicionem istam cum aliis nonnullis rationibus in-  
causâ fuisse, quòd & ipsi nostrates Theologi inter Ca-  
nonicos secundi ordinis libros N. T. retulerint eam; id  
tamen certum est, quòd inter Apocryphos propriè ita  
dictos referri haud debeat: Sed quòd pro genuina ve-  
raque Apostolica habenda & ipsa sit. Quemadmodum,  
& Canonici libri secundi ordinis N. T. neutiquam eò  
sensu Apocryphi vocantur, quo V. T. Apocryphi libri.  
Siquidem de horum, putà V. T. librorum Apocrypho-  
rum non tantum autore secundario, sed & auctoritate  
ipsâ divinâ, non injuriâ dubitari, pridem probatum est  
à Nostratibus: de illorum verò, intellige libros Apo-  
cryphos N. T. à nonnullis ita dictos, neutiquam. Ne-  
que verò exinde, quòd liber aliquis vel Epistola N. T.  
quædam tradit quæ non sunt ex Scriptura; sed aliunde,  
vel è gentiliis scriptis, vel ex traditionibus, vel ex li-



bris depromta apocryphis, autoritas illius labefactari potest: cum metuendum sit, ne idem periculum non Actus tantum Apostolici, sed & Epistolæ nonnullæ Paulinæ subire cogantur, cum in his quoque legantur talia quædam, ceu pridem ab Hieronymo & aliis observatum est. Rectius igitur sentiunt illi, qui asserunt, quod si quædam sive ex apocryphis, sive è gentilium libris, in libros relata Canonicos à Scriptoribus sacris: *Illà ipsa per hoc fuerint sanctificata & ad pium usum accommodata.* Quod ipsum tamen non propterea adducimus, ac si existimemus nihil hujus Historiæ extare, vel reperiri in libris V. T. Canonicis. Novimus enim ac firmiter asserimus cum *Gerhardo b. m. in Exeg. L. de Script. S. §. 289.* & *VValthero in Harm. in h. l.* quod vestigia Historiæ præsentis in libro Canonico extent, & quidem Deut. 34. 1. & 9. ubi traditur sive à Josua (huic enim caput hoc postremum non præter causam nonnulli adscribunt) sive, quod tamen minus verisimile, à Mose ipso (uti Josephus existimat) quòd corpus Mosis à Domino in valle montis Nebo fuerit sepultum, quodque nemo illud invenire potuerit. E quo loco elucescit, quòd *fundamentum* hujus historiæ, sive ut alii loquuntur, *Res* inveniatur, in libro V. T. Canonico, licet quoad *Circumstantias*, nonnulla vel ex libro apocrypho, vel ex traditione depromta sint. Sunt, qui Historiam ipsam tum quoad fundamentum, tum quoad circumstantias ex Zach. 3, 1. & 2. petitam arbitrantur; De qua tamen sententia quid sentiendum sit, infrà fortè monebitur. Sed *quisnam sit ille liber Apocryphus, è quo circumstantia Certaminis, sive historia nostræ ab Apostolo desumpta?* videndum. Probabile est, si qui talis Liber inter Judæos quondam extitit, periisse illum, temporis injuriâ,



riâ, nec hodie ampliùs reperiri. *Ludovicus* quidem *Capellus*, Vir in Rabbinicis scriptis versatissimus *Spicilegii sui* p. 128. & seq. sive in notis ad hunc locum; jucundam refert fabulam è libro quodam Judaico, *Rabboth*, sive *Mystica expositiones Pentateuchi* inscripto, ubi in *Parascha ult. Deuteronomii*, autor commemorat, quòd *Samael* omnium *Dæmonum* princeps, singulis diebus horas numerârit, quot superessent ad mortem *Mosis*, quòd morituri raperet animam. Subjungit deinde idem, colloquium inter *Samaelem* istum, *Diabolorum* principem ac *Michaellem*. At non vacat istis invigilare fabulis ac somniis Judaicis. Id certum est, quòd, si *Judas* *Apostolus* ex apocrypho quodam *Judæorum* scripto, *Historiæ* circumstantias petiit: ille liber diversus fuerit ab hoc, cujus *Capellus* c. 1. meminit; cùm, ut alia taceam, in *Rabboth* mysticis illis expositionibus *Diabolus* non corpus, sed animam *Mosis* desiderasse tradatur. *Johannes Drusius*, *Præterit.* lib. 9. p. 399. existimat *Judam* hæc, quæ de *Certamine Michaelis* cum *Diabolo* annotavit, sumsisse ex libro apocrypho, cui titulus *Ἀνάβασις τοῦ Μωϋσεως* i. e. *Ascensio Mosis*, & subjungit: *Meminit Origenes* *Ἐν ἀρχαῖς* l. 3. c. 2. De quo in *Ascensione Mosis* (cujus libelli meminit in *Epistola sua Judas Apostolus*) *Michael Archangelus* cum *Diabolo* disputans de corpore *Mosis* &c. Alibi est *Assumptio Mosis* i. e. *ἀνάληψις*, ut apud *Epiphanium* in *Synopsi*. Idem *Epiphanius* in libro de mensuris & ponderibus ait, *Judæos* *Ptolomeo* misisse cum libris *Canonicis apocryphos* septuaginta duos. In libro *Aboth* 57. 2. citatur liber ejus generis, qui inscribitur *דברי משה* *Verba dierum ipsius Mosis*: quem etiam memorat *Aben-Ezra* *Exod.* 4. 20. asserens, omnia vana esse, quæ in eo continentur. *Mibi* nondum videre contigit. Hæc *Drusius*,  
Alexan-



Alexandrinæ Ecclesiæ lumina, alter Episcopus, Presbyter alter, *Clemens* nempe *Alexandrinus* l. 2. *σωμ.* & *Athanasius*, in Synopsi itidem mentionem alicujus libri faciunt, ἀνάβασις Μωύσεως inscripti; idque propterea, ut nonnullis placet, quia continuerit Ascensum Mosis de Campestribus Moab, super montem Nebo in verticem Phasga contra Jericho; item Colloquia Mosis jam jam morituri cum Deo peracta, ejusdem sepulchrum Angelorum manibus in occulto loco effossum, & disceptationem Michaelis & Diaboli. Hæc cum ita, prout commemoravimus, à Patribus sive primitivæ Ecclesiæ Doctoribus tradita memoriæ sint, arbitrantur nonnulli, inter quos & B. Dn. *Gerhardus* est l. c. extitisse olim scriptum, titulo פְּטִירָה מִשְׁוֹרָה *Dimissio Mosis ex hac vita.* Græcè ἀνάληψις Μωύσεως inque eodem lecta fuisse, quæ de corpore Mosis h. l. citantur. Sed quicquid tandem hujus rei sit, sive ex traditione hæc habeat Apostolus, quæ ad Historiæ circumstantias spectant, sive ex libro quodam apocrypho hodie deperdito, sive denique ex peculiari revelatione divina, sufficit nobis quòd Epistolæ autor non solum expressè se nomet JESU Christi servum; atque librorum Canonicorum περιήρησιν eidem epistolæ competant: Sed quòd à Concilio etiam *Laodicensi* ac *Carthaginensi* 3. ab *Athanasio* item & *Augustino*, multisque aliis venerandis veteris Ecclesiæ Doctoribus, scriptis Canonicis annumerata fuerit. Nec tamen propterea inde sequitur, aut verum est, quod *Alfonso Salmero* Tom. 16. *disp. unic. in h. l. p. 341.* scribit: *Non oportet Scripturam ab Scriptura comprobari; sed ab Ecclesia.* Si verò aliquis porro quærat; *Quare ex apocrypho potius scripto, vel ex Judaica traditione, quàm è Scripturis θεοπνεύστοις sive ipsam hanc Historiam, sive illius circum-*



*circumstantias tradere, ac argumento inde depromto red-  
arguere majestatis contemtores voluerit? cum neutri-  
quam & Cononici libri destituantur rationibus egre-  
giis, quibus insurgere contra perversos istos Apосто-  
lus potuisset: illi respondemus, fecisse id Judam confi-  
lio prudenti. Quemadmodum enim Apostolus Paulus  
contra gentes disputans, gentilium usus testimoniis est,  
non ac si ipsi testimonia divina deessent, sed ut gentili-  
um librorum scrutatores ac æstimatores etiam è pro-  
pria suorum librorum lectione convinceret: Ita quoq;  
probabile est, Judam singulari artificio è Judæorum sive  
traditione sive scripto privato quodam, prophano qui-  
dem, magni tamen ab iisdem æstimato, desumpsisse argu-  
mentum, dum ut à blasphemis contra magistratum abs-  
tineant, persuadere illis voluit: Magnum enim illius  
accedit robur sententiæ, qui adversarium de contrariæ  
opinionis falsitate ex propriis scriptis convincit, ac pro-  
prio quasi hostem jugulat gladio.*

POSITIO II.

Per Michaelem Archangelum hoc loco,  
non Angelum increatum, Filium DEI, sed  
creatorum Angelorum quendam, intelligen-  
dum esse asserimus.

Cum Hebræum **מי כמוני** in lingua latina sonet u-  
trumque, videlicet: *Quis sicut Deus, & qui sicut  
Dominus* ( particula enim **מי** ex qua nomen hoc com-  
positum est, non solum *Quis* notat, & interrogandi vo-  
cula est; sed etiam *Qui* ac pro **מיני** usurpatur in sacris  
litteris: uti exempla pro posteriori significatione  
adduci solent Jud. 7, 3. Eccles. 5, 9.) inde ex appellatio-

B

nis



nis ratione five ex vocis etymologia non potest certò  
cognosci, an filium Dei notet, qui utique verus DEUS  
sicut & Pater est, ac ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρ τῆς  
ὑποστάσεως αὐτῆς, Hebr. 1, 3. an verò angelum aliquem  
creatum, qui Diabolo ex superbia insurgenti contra  
Deum Creatorem suum restiterit, gloriam Deo dede-  
rit, admirabundusque clamarit: *Quis sicut Deus?* in-  
telligendo: *Nemo* atque hinc id ipsi cesserit nominis.  
Magna hinc interpretum dissensio est, tùm circa locum  
præsentem, tùm circa alia scripturæ loca, puta Dan. 10,  
13. & 21. c. 12, 1. & Apoc. 12, 7. in quibus similiter hoc  
nomen legitur, num per Michaellem angelus aliquis  
creatus, an verò ipse Filius Dei intelligi debeat. Reli-  
quis locis jam nunc sepositis de præsenti tantùm acturì  
modò sumus. In quo per *Michaellem Archangelum* non  
aliquem ex creatorum angelorum numero; sed *Ange-  
lorum Creatorem* ipsum, puta Filium Dei intelligendum  
esse, *Franciscus Junius Tom. 1. operum Notis in h. l. p. 1292.*  
statuit, non dissimulans, plerosque omnes Interpretes  
per *Michaellem, Angelum* creatum intelligere. *Junium*  
pauci admodum Commentatores scriptoresque sunt  
secuti, etiam ex ipsis Calvinianis: adeò quidem, ut præ-  
ter *Joh. Georgium Grossium* (qui tamen & ipse non ex-  
pressè asserit, quod de Angelo increato capi hic locus  
debeat) in *Theat. Bibl* p. 1982. vix unus aut alter reperi-  
atur, qui non de creato Angelo intelligat. Et certè,  
cùm *Archangelus & Christus* 1. Thessal. 4, 16. (quo loco  
tantùm & præsenti, vox ἀρχαγγέλῃς in N. T. deprehendi-  
tur) manifestè discernantur, inde colligunt nonnulli,  
Christum non posse vocari Archangelum. Sed nos id  
quidem jam non disputabimus. Quoniam tamen non  
videmus rationes sat graves, quæ de *Angelo increato* five  
Christo



Christo locum præsentem intelligendum esse persua-  
deant, receptam sequimur expositionem. Junius ta-  
men suprà laudatus cit. I. urget I. Quòd Michael signi-  
ficet eum, qui tanquam DEUS fortis & æqualis DEO.  
*Potest autem, scribit, hæc appellatio certa alicui personæ  
competere duobus modis, absolutè & comparatè. Absolutè  
sive essentialiter Michael appellatur i. e. æqualis Deo, filius  
æternus Dei, in quo essentialiter est nomen Dei, ut loquitur  
Deus ipse Exod. 23, 21. Comparatè verò & accidentaliter  
Michael dici potest, qui dignitate aliquâ supra alios ad De-  
um accedit proximè & vicem eius apud alios fungitur. Non  
multò post subjungit: *Mibi arridet prior interpretatio,  
ut Christum Jesum Dominum nostrum personaliter & es-  
sentialiter æqualem Deo Patri, unicum Deum esse intelli-  
gamus cum Patre & Spiritu Sancto. II. Quòd ille qui  
princeps exercituum Jehovæ, is princeps quoque An-  
gelorum sit, Josu. 6. III. Quòd Mosis corpus à Deo ipso  
sepultum fuisse historia sacra testetur Deut. 34. Ac proin-  
de intelligimus, inquit, neque ex creaturis ullam in hoc o-  
pere fuisse occupatam, neque Diabolum ab alio, quam à  
Christo Angelorum principe impeditum esse. Cum verò  
objici possit, indigna esse Christo ea, quæ de Michaele  
Apostolus h. l. tradit, videlicet, quod cum Diabolo cer-  
târit de corpore Mosis, & quòd non ausus fuerit judici-  
um adhibere convicii: statim etiam responsionem ad  
objecta subnectit idem Fr. Junius. Et ad Prius quidem  
respondet, quod si non mirum est, Christum Matth. 4. à  
Diabolo tentatum fuisse, in tentatione tamen extitisse  
superiorem: nec id mirum esse, eundem per illud tem-  
pus dimicasse contra Diabolum. Ad posterius dicit, in  
dictis continuisse se Christum, neque ad convicia fun-  
denda proripuisse, ut servi humilitatem, quâ semper u-**



sus fuerit ; dum missus est ad faciendam voluntatem patris sui, ostenderet ; ceu ex simili exemplo, Zach. 3, 2. ostendi possit. Hæc ad sententiæ suæ confirmationem *Ju- nius*, sat probabiliter & argutè : Quæ tamen cum non modò à recentiorum ; sed & Veterum Interpretum expositione recedat, meritò à nobis suo loco relinquitur : & argumentorum solutio ad placidum conflictum reservatur. Id tantùm hîc monemus, cum *Joh. Camerone Janii* socienno, haud posse probari, Archangelos propterea ita dictos esse, quòd in cæteros Angelos imperium habeant : quin potius, sicuti Paulus, ut ostendat ordinem aliquem inter Angelos, nomina adhibuit earum rerum, quæ in oculos nostros incurrunt quotidie : Ita & scriptura similiter alibi Archangelorum meminit, cum in politia humana non minùs *δεχαι*, quales sunt, qui à Regibus, & Regulis, Provinciis & Civitatibus, præficiuntur, in usu sint, quàm Throni, *κυριότητις & ἐξουσία* à Paulo Col. 1, 16. inter Angelos constitutæ. Sed *quis qualisve Angelus per Michaelem Apoc. 12, 7.* intelligendus sit : occasione hac problematicè, quamvis de illo hîc non disputaturi, enarrabimus. Nostrates itidem *Increatum* intelligunt. De *creato* Pontificii plerique citante *Cornelio à Lapide* loc. seq. *Bellarminus* Tom. 1. Controv. 3. gen. 1. 1. c. 9. & ipse *Cornelius à Lapide*, in cap. 10. *Dan.* (nisi quis fortè id attendere velit, quòd duplici modo *Cornelius* dicat intelligendum locum istum esse, *historicè* nempe & *symbolicè*, ac priori saltem sensu de angelo increato sumere. Etenim in *Comm. Apoc. cap. 12. v. 7.* cum *Alcazar* scriptore pontificio per *Michaelem Christum* accipit, per Angelos ejus Apostolos & prædicatores, hi enim & ipsi isto insigniuntur nomine, vid. *Apocalyp. 2.*) aliique locum intelligunt  
Apo-



Apocalypticum: Calviniani hinc iterum in partes scinduntur. *Fr. Junius notis in Apoc.* per *Michaelem* Christum intelligit, qui princeps est Angelorum & Ecclesiae caput, virgam gerens illam ferream v. 5. *Job. Camero pralect.* in *Matth. 18, 10.* creatum intelligit Angelum. *Alii*, inquit p. 461. hinc respondent *Michaelem illum* (de quo *Apoc. 12, 7.*) esse Christum: nobis non licet hoc respondere, quia ostendimus *מִיכָאֵל אַחֵר* locutionem esse ejusmodi, ut non possit denotare imperium in primos, sed vel sit nota numeri vel ordinis. Postea declarat hoc exemplo Collegii, in quo ordinis prioritas quaedam etiam absque imperio. *Johannes* denique *Piscator Herbornensis* videtur esse dubius, vel sibi contrarius: Namque *Scholiis in epist. Jude*, postquam allegasset loca *Dan. 10, 13. c. 12, 1. Apoc. 12, 1.* subjicit: *In quibus quidem locis nonnulli per Michaelem intelligunt filium Dei. Sed nihil videtur ob stare, quin illic quoque intelligatur hic ipse Archangelus. Imò textus videtur postulare, ut non filius Dei, sed Angelus quispian intelligatur &c.* Idem tamen *Scholiis* in cap. 12. *Apocal.* p. 1543. ad vocem *Michael* commentatur ita: *Michael: Christus: qui est sicut DEUS, id est, par DEO. Hoc enim illo nomine significatur מִיכָאֵל Michael. Sed de his satis.*

### POSITIO III.

Certos aliquos Angelorum ordines sive gradus esse, id quidem certum est: & inter alia argumenta exinde etiam videtur probari posse, quòd *Michael* in textu nostro vocatur *Archangelus*, id est, primarius

B 3

sive



sive princeps Angelus. Quot verò Ordines eorum sint, & quomodo invicem accuratè distinguantur: Id Scriptura Sacra non duxit è re nostra esse, monstrare prolixè, nec hujus rei ignorantia cum damno salutis nostræ conjuncta est. Nec unum certum etiam cuique assignatum à DEO Angelum custodem, ex Scriptura Sacra firmiter probari potest.

**P**ER *Michaelem* in textu præsentis, *creatum Angelum* intelligi commodè posse & debere, *positione præcedente* dictum est. *Idem* quoniam *Archangelus* nominatur: exinde, eum non primarium solum Angelum esse; sed & ordines aliquot inter Angelos bonos dari, interpretes nonnulli colligunt. Quorum vestigiis & nos insistimus: primariò doctrinam hanc Ephes. 1, 21. Col. 1, 16. 1. Petr. 3, 22. fundatam esse confitentes; nec tamen ratione *beatitudinis & gaudii*, quod ex æquo omnibus commune est, sed ratione *donorum gloriaque* discrimen illud concedentes. Duobus verò tantum locis *Ἀρχαγγέλος* vox, ut supra notabamus, in N. T. occurrit, nostro videlicet textu, & 1. Thessal. 4, 16. Non autem sensu eodem utrobique accipi, Interpretes asserunt. Hoc loco certo individuo sive uni Angelo, putà Michaeli, tribui, nemo, quantum nobis constat, inficias it. At circa locum, 1. Thessal. 4. observandum esse, *Camero* monet, *pralect. in Matth. c. 18. p. 462. Quòd non scriptum sit ibi τὸ Ἀρχαγγέλος, sed simpliciter in voce Archangeli.*  
NATB



*Nam dicitur Dominus venturus cum Angelis in voce tuba.*  
*Nos autem, subjicit Camero, vocem illam tuba non dubi-*  
*tamus interpretari ingentem fragorem, qui Angelorum o-*  
*perâ edetur. Cornel. à Lapide, Comm. ad cap. 12. Dan. si-*  
*militer sub nomine Αρχαγγελῶν. Theff. 4. Michaellem in-*  
*telligit. An verò vox ἀρχάγγελος h. l. idem penitus signifi-*  
*cet, quod Daniel. 10, 13. מַשְׁרַתַּיְתָא אַלְיָא alii dispiciant.*  
*Ex sententia Pontificiorum videtur, quòd non. Docent*  
*enim iidem, ut velut in transcurso hoc subjungamus,*  
*quat. ex Scholasticorum Gymnasiis prodierunt, prin-*  
*cipatus tutelares esse Regum & Regnorum, atque hinc*  
*illum, qui à Michaelle Dan. 10. fuerit devictus, nomina-*  
*ri principem Persarum, Archangelos verò esse tutela-*  
*res Provinciarum. Vid. Molina 1. p. q. 108. Sed si, quod*  
*Pontificii asserunt, Michael est Custos Præsesque toti-*  
*us Ecclesiæ, in qua tamen multa regna sunt, idemque*  
*princeps sive unus de principibus primis, utique ad*  
*principatus s. primum ultimæ Hierarchiæ ordinem re-*  
*ferri debet, non verò ad secundum, in quo Archangeli.*  
*Camero ex illo principio, quòd Johannes Apoc. 12, 7. per*  
*Michaellem, creatum insinuet Angelum, colligit, Micha-*  
*elis nomen ibi pluribus Angelis competere, sive univer-*  
*so alicui Angelorum ordini. Quando itaque scribit*  
*Theologus, Michaellem & Angelos ejus, pugnasse cum*  
*Satanâ, tunc istum verborum horum sensum esse Ca-*  
*mero existimat; omnes istos מַשְׁרַתַּיְתָא cum suis ange-*  
*lis certasse contra Diabolum, ac nomine Michaelis*  
*omnes מַשְׁרַתַּיְתָא significari. Id certum est, quòd*  
*Michael ex primario quodam ordine Angelorum sit,*  
*siquidem & Αρχάγγελος h. l. nominatur, & Daniel. 10, 13.*  
*מַשְׁרַתַּיְתָא אַלְיָא unus principum, sive primarii ordi-*  
*nis angelus. Attamen an omnes illius ordinis Angeli*  
*Micha-*



Michaelis nomine veniant probatum nondum à Camerone est. Quamvis etiam ferè nec *Michaelis* magis, quàm *Gabrielis* ac *Raphaelis* nomen proprium statuendum sive unius angeli, sive totius ordinis sit. Appellativa hæc nomina sunt, quæ Angelis illis ad tempus fuisse imposita, propter munia ipsis demandata ac propter diversos apparitionis & executionis modos, docente sæpius laudato *Dn. D. Gerharo Colleg. Isag. disp. 1. de Angelis c. 1. §. 13.* Diximus porro in nostrâ thesi, *ex Scripturis S. accuratè colligi non posse, quot qualesve inter Angelos ordines sint?* Neque tamen propterea ad traditiones quasdam dubias, vel illius *Pseudo-Dionysii* monumenta de cœlesti hierarchiâ confugiendum: è quibus lacunis hausta pleraque, quæ Scholastici adeò operosè de Angelorum ordinibus commentati sunt. Temporis angustia non permittit, ut otiosi ingenii somnia excutiamus, nedum ut examinemus prolixè nova illa mysteria, quæ præeunte Magistro sententiarum, Scholastici Christiano orbi obtruserunt. Videatur *Camerone l. c.* prolixè hac de re differens. Nobis potius placet *Gregorii Nazianzeni* Episcopi, decens modestia, quando *Orat. de Theol. p. 77.* scribit: *Ordo Angelorum notus ei, qui ipsos ordinavit:* Similem modestiam in *Augustino* Hipponensium Episcopo, Patrum Latinorum augustissimo deprehendere licet. Ita verò hic in *Enchiridio ad Laurentium c. 58.* *Quomodo se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentia personarum, ut cum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur, sicut in Epistolâ ad Hebræos legimus &c. Sint tamen illic Archangeli & utrum idem Angeli nominentur virtutes &c. & si quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam illam cœlestem societatem videtur Apostolus esse*



esse complexus, dicendo: sive sedes, sive dominationes, si-  
ve principatus, sive potestates, dicant qui possunt, si tamen  
possunt probare, quod dicunt, EGO ME ISTA IGNO-  
RARE CONFITEOR. Idem alibi citante Magno no-  
stro Chemnitio, orat. de lect. Patr: *Esse thronos, esse do-  
minationes, principatus & potestates certum est: sed quo-  
modo inter se differant, ipse novit, qui condidit, & nos in  
altera vita facie ad faciem videbimus.* Neque tamen  
inter sanctos Angelos tantum, qui in concreata boni-  
tate perstiterunt, atque in eadem jam confirmati sunt,  
ordines certos, & hos quidem *novem* Scholastici statu-  
unt: sed inter malos quoque totidem fingunt. Cum-  
que Diaboli *octavum* constituent ordinem inter malos  
sive lapsos angelos, quemadmodum Archangeli inter  
bonos pariter *octavum* secundum *Pseudo-Dionysium* &  
qui eum sequuntur, Scholasticos constituunt; hoc i-  
pso verò in textu nostro Michael ex Archangelorum  
ordine certasse cum Diabolo tradatur, quem & vicis-  
se Michaeli verbi robore dicitur: Inde, si distin-  
ctio illa tam bonorum quam malorum in certas istas  
classes firmo niteretur fulcro, elegantissima doctrina  
depromi posset, quòd bonorum Angelorum virtus præ-  
staret malorum Angelorum potentiâ, licet ejusdem or-  
dinis Angeli boni cum malis committantur, Sed  
*num exinde, quòd unus Michael cum Diabolo de corpore  
Mosis certasse hic commemoratur, probari fortè potest,  
assignatum esse cuilibet homini pio à DEO certum An-  
gelum custodem, ac Mosis quidem Archangelum Michae-  
lem assignatum fuisse?* Sanè *Basilii Magni* Cæsa-  
riensis Archiepiscopus, qui floruit seculo à CHRISTO  
nato quarto, inque tanta versatus est laude, ut *Da-  
mascono*, orbis universi lumen salutaretur, affirmat

C

l. 3.





I. 3. contra Eunom. cuique homini certum Angelum datum esse ad custodiam. Fecitque Basilii autoritas, ut plurimi veterum eandem amplexi fuerint sententiam. Avidè autem id arripiunt Pontificii, interque eos cum primis *Becanus*, qui de Angelis cap. 6. p. 389. varia in eam rem dicta Scripturæ allegat, de quibus nunc quidem nobis non licet agere. Mirari verò quis posset, quare *Becanus* præsentem locum omittat, pro unius Angeli cuilibet homini adjuncti custodiâ disputans, nisi fortè de viventibus solùm illi sermo sit: Imò nisi constaret, Michaelem Archangelum, quemadmodum & Archangelorum ordinem universum è Pontificiorum statutis non cujusque singularis personæ, sed civitatis totius, vel communitatis alicujus & Reip. curam gerere, singularum personarum curâ custodiâvè Angelis, qui agmen quasi claudunt, nonnumque ordinem constituunt, relictâ. Quod verò Archangeli & inter hos Michael, creatus Angelus totius Communitatis curam gerat, probant Pontificii diversis rationibus, de quibus alii. De Michaelē controversant adhuc ipsi, ceu ex *Cornelio à Lapide in cap. 10. v. 15. Daniel.* patet, an princeps unius saltem classis sit, quatenus hæ à Dionysio constitutæ sunt, an verò totius exercitûs cœlestis sive Angelorum (voce hæc latè sumtâ) omnium. *Cornelius* posterius probabilius asseri statuit, firmatque inter alia inde, quod *uti olim Synagoga, ita nunc totius Ecclesiæ Præses & Custos à fidelibus colatur*: sed meritò quæritur, an rectè? Pergit tamen *Cornelius* monetque *Ecclesiam in Missa pro defunctis eundem Michaelē signiferum Christum vocare*, & uti addit in cap. 12. huic etiam templa illa, quæ olim à Gentilibus Marti fuerint dedicata, uti Antverpiæ, Leodii, Lunæburgi, Bon-



Bonnæ, Coloniae & alibi, Christianos dedicasse. Nos negamus templa Michaeli ut Angelo & creaturæ, rectè dedicari. Retinemus has appellationes discriminis causâ, & in memoriam. Quomodo enim Michaellem creatum Angelum, sicuti & reliquos angelos bonos honorare debeamus, ostendit noster Gerhardus b. m. disp. Isag. de Ang. 2. c. 9. §. 22.

#### POSITIO IV.

Angelos bonos, malis sive in peccatum prolapsis adversari, credendum omnino est; idque patet quoque ex textu præfenti. Per Michaellem enim bonum, & hinc creatum quidem Angelum intelligi debere h. l. asserunt nobiscum Interpretes plerique omnes. Per Diabolum verò malum angelum intelligendum esse pariter Interpp. nobiscum asserunt, nec facile hic adversarios inveniemus: Est enim commune hoc ac vulgatissimum malorum Angelorum nomen. Quomodo verò inter se certent & quâ propriè ratione boni, malos oppugnent, non satis liquet.

**C**ertamen & dissidium perpetuum inter bonos & malos Angelos esse, notissimum est ex Scriptura S. Neque enim dubitari potest, cum boni, iidemque in sanctitate confirmati Angeli arctissimo amore Deum,



complectantur; è contrario mali convicia adversus creatorem perpetuò evomant; quin boni id ægrè ferant, summoque hinc malos odio persequantur. Cùm insuper boni Angeli piis hominibus dati & missi à Deo custodes sint, illis verò Diaboli nunquam non insidientur; inde pugnam inter hos istosque suboriri quis dubitabit? *An verò pugna hæc verbis vel factis fiat*, nusquam disertè Scripturam exprimere nostrates affirmant: proptereaque nos ingenii curiositatem colibere debere, iidem monent. In textu tamen præsentis vocabula adhibentur talia, quæ certamen inter Michaelum Archangelum ac Diabolum, *verbis* habitum potius, quam *factis* esse, insinuare videntur. Introducitur enim Michael *Ἀρχαγγέλου* & τῷ Δαβόλω. Deinde dicit Apostolus, quòd *disputavit* *διελέγετο* πρὸς τὸ Μωσέως σῶματ' &. Denique memorat idem Apostolus, quòd Michael non ausus fuerit *κρῖσιν ἐπιενεγκεῖν βλασφημίας* sive *convicia in Diabolum congerere*, sed quòd tantum dixerit: *Increpet te Dominus!* Vocabula igitur hæc cùm non solum in aliis Scripturæ locis, sed & apud autores profanos *verbalem* potius pugnam quàm prælium *reale* indicent, inde *verbis*, non *factis* bellum hoc gestum esse asseri probabiliter potest. Intereà tamen eò nollemus audaciæ nos provehi, ut certi quid statuamus in re abscondita; aut ut realem coercionem Satanæ, verbis conjunctam fuisse, negemus: Sine dubio enim etiam realis prohibitio à Michaelle adhibita fuit. Sed, ut rem pluribus evolvamur, si verbis solum Michael cum Diabolo contendit, porrò quaeritur, tum *quomodo hoc factum fuerit*, an *in corpore assumpto*, in quo sermonem formarit, an *verò ratione aliâ*; tum quoque *quibus usus argumentis uterque sit?* Locutionis Angelicæ, cùm tria Scriptura sacra  
memo-



memoret objecta, Deum, Spiritus h. e. Angelos bonos malosve, ac homines : cum his saltem quomodo loquantur, quodammodo cognosci posse videtur. Quamvis nec hinc sciri, aut affirmari posse, quam ratione Angeli vel ad aurem forinsecus vel ad animum, hominibus intus loquantur, *Augustinus* confiteatur in *Enchirid. c. 59*. Quam igitur ratione Angeli cum Deo vel se invicem loquantur, ignorare nos, satius esse putamus, si confiteamur ingenuè, quam si periculosè disputare de re, quam Deus revelare noluerit, præsumamus. Interea tamen veritati consentaneum est, aliâ ratione Angelum loqui cum Deo, aliâ cum hominibus, aliisque Angelis. Pergimus: Pontificii asserunt, etiam inter bonos Angelos controversias suboriri, ac sibi invicem eosdem contraria velle posse, in illis nempe rebus, in quibus nec dum DEUS voluntatem suam patefecerit: interea tamen *id fieri non absolute & efficaciter, sed conditionate, si videlicet id Deo placuerit, quod ipsi optant*. Probant id ipsum autem potissimum ex Dan. 10, 13. Sed cum per *Principem illum Persarum regni, non bonus sed malus Angelus intelligendus sit*: inde primarium Pontificiorum fundamentum corrui. Quæ verò *Cornelius à Lapide* de pugna Gabrielis cum Angelo Persarum in illum locum tradit, quod peracta fuerit non digladiando, non verberando, sed *1. contraria volendo. 2. contra Antagonistam disputando. 3. alios Angelos ad idem contra eum advocando & concitando. 4. DEUM ardenter orando* contra vota alterius, ejusque ratione solvendo, & suas perurgendo: Idem ex parte de præsentis quoque affirmari pugna, quamvis aliâ ratione potest. Quod enim *1. Contraria* voluerit Michael Diabolo, constat ex verbo *Μαχησεν*, quod *judicio cum aliis de re aliqua*



*contendere*, juxta nonnullos significat. Voluit enim Diabolus vel ut corpus Mosis non sepeliretur, vel ut sepultura locus omnibus esset notus. Causam indicabimus postea. Contra Michael Angelus bonus voluit hoc, quod divinæ voluntati & actioni fuit conforme, nempe ut sepeliretur Mosis corpus; neque tamen sepultura locus specialis Israelitis esset notus. De qua voluntate divina informat nos satis caput Deuteronomii postremum. Quod *idem* contra Diabolum *disputavit*, id expressè Apostolus noster asserit, verbi enim *ἀγλαίωσθαι* hæc communis ac recepta significatio est, inde etiam ab interpretibus per *disceptandi* ac *disputandi* vocem tum h. l. tum alibi est redditum. Quod idem Angelus bonus Deum in *auxilium* advocavit, & huic vindictam commendavit, insinuare videtur Apostolus noster, quando dixisse scribit Michaelem ad Diabolum: *Increpet te Deus!* sive etiam, *perdat te*, aut *coerceat iniquos tuos ausus!* Per Diabolum denique malum Angelum intelligi h. l. debere vel ipsa vox *ἀβόλος*, quæ recepta ac vulgatissima mali Angeli appellatio, innuit, nec adest quicquam, quod diversum magnoperè suadeat. Qui tamen mysticè hanc historiam intelligere velint, cum Junio in h. l. vel figuratè accipientes *Mosis corpus* pro *sanctissimo illo sacerdotio*, cujus umbræ in lege præfiguratae populo fuerint, & instaurandæ populo reduce (quo referunt Zach. 3. 2.) consummandæ adventu Christi Col. 2, 17. Secundum illos fortè, quemadmodum per *Michaelem* non Angelus creatus, sed increatus ac Dominus angelorum idemque Creator, Christus cum fidelibus verbi præconibus intelligitur; ita & per Diabolum non malus solùm Angelus, sed & falsi Doctores ac Pseudo-Apostoli intelligendi essent. Sed suprà ostendimus,



mus, nullam nos cogere necessitatem, à recepta & propria ut abeamus significatione & ad figuratam expositionem confugiamus! Sit itaque

POSITIO V.

De Corpore Mosis. Per quod hoc loco corpus Mosis propriè ita dictum sive cadaver, terræ vel mandandum vel mandatum intelligimus. Ubi sepultum sit, quoniam DEUS loco Israelitis incognito sepelire ipse voluit (an verò Angelorum in actione hac ministerio usus fuerit, vel non, de eo non magnoperè litigabimus) non constat. Diabolus verò sancto isti Prophetæ sive sepulturæ honorem invidens, sive sepulturæ locum palàm Israelitis facturus, quò hanc occasione ad idololatriam eos induceret: DEO in opere suo sese opposuit. Quam rem nec Angeli boni perferre sustinuerunt. Ex illorum itaque numero Michael Archangelus certamen Diabolo indixit, rectèque non tantum honorem istum sepulturæ corpori Mosis habitum à DEO esse, sed & ipsum sepulturæ locum occultatum ab eodem fuisse, contra Diabolum defendit.

De



DE Mosis corpore Michaellem cum Diabolo disce-  
prasse Apostolus scribit. Quid autem per corpus  
Mosis intelligendum sit, non indicat. An propriè pro  
Mosis, Prophetæ illius clarissimi in populo Judaico, de-  
mortui cadavere sumat; an verò per τὸ σῶμα figuratè  
corpus aliquod mysticum intellectum velit: quod tan-  
quam πρόβλημα in medium attulit Fr. Junius in h. l. do-  
ctisque considerandum proposuit. Joh. Georgius Gros-  
sius verò in Theatro Biblico id adeò amplectitur, ut  
scribere non vereatur: *Judas non loquitur de illo corpore  
Mosis, quod in monte Nebo à Deo ipso sepultum est, sed de  
eo, de quo Moses vaticinatus est & quod præfiguravit cere-  
monis & typis variis, cujus antitypus fuit Jehoschua sa-  
cerdos, Zach. 3. 1. 2. Corpus illud & Mosis est & Christi.  
Mosis quidem, quatenus is de eo prophetavit oraculis, fi-  
guris, sacrificiis; Christi verò corpus appellatur, Coloss.  
2, 17. quatenus in Christo est complementum Mosaicorum  
vaticiniorum, typorum, sacrificiorum.* Cùm tamen à  
littera in Scriptura sacra non recedendum sit, nisi mani-  
festa necessitas urgeat, inde cùm ea hoc loco nondum  
sit monstrata, per corpus Mosis, ipsius defuncti Mosis  
corpus intelligimus. Circa hoc controversia suborta,  
inter Michaellem & Diabolum. Quæ verò controver-  
siæ capita, quæ partis utriusque rationes fuerint. Nec  
hoc Apostolus exprimit. Sed cùm Diabolus ἀένωδὸς  
Dei hostis sit, ejusdemque actiones non tantùm crimi-  
netur, sed & impedire suo loco unicè conetur; de Deo  
verò referatur, Deut. cap. ult. quòd *Mosen servum suum  
in valle montis Nebo ipse sepelierit, sepulcrum verò illius  
occultum esse voluerit: ita enim exponunt verba illa,  
Interpretes, vers. 6. Et non cognovit homo sepulcrum ejus  
(Mosis) in presentem usque ad diem.* Probabiliter  
hinc



hinc viri docti statuunt, Diabolum Dei actionem impedire ausum fuisse, prohibendo Mosis sepulturam. Imò non sepulturam tantùm Mosis Diabolum voluisse prohibere, sed & Mosen tanquam homicidam (vid. Exod. 2, 12.) sibi vendicare, *Glycas part. 2. Annal. & Pantaleon Chartophylax orat. de S. Michaeli* arbitrantur. Certè honorificam sepulturam Diabolum invidisse Mosis; ac Michaeli cui munus hoc à Deo mandatum fuerit, objecisse, quòd Ægyptium ille interfecerit, Oecumenius putat. Quod autem ipsam pugnam sive disceptationem attinet, sunt qui eam inde ortam existimant, quòd Moses à Deo raptus in Paradisum fuerit, corpore & anima, atque in hac sententia *Philo* esse videtur de vita Mosis circa finem, citante *Cornelio à Lapide* in h. 1. *Hieron. in cap. 9. Amos, Hilarius in cap. 17. Matth. Ambrosius l. 1. de Cain cap. 2.* Item *Gregorius Nyssenus in vita Mosis*, & cum illis Pontificii pariter statuunt, Mosen nondum esse mortuum & proinde nec sepultum sed translatum cum Enoch & Elia. Sed nullà ratione probabile est, vivum translatum fuisse Mosen in cœlum: quoniam id apertis scripturæ verbis Deut. ult. contrariatur. Quoniam autem Matth. 17, v. 3. apparuit in monte Thabor, & locutus est cum nostro & totius mundi Salvatore de opere Redemptionis & morte Hierosolymis obeundâ: ideò veritati consentaneum est, eum secundum corpus & animam vivum translatum in cœlum quidem non fuisse, sed tantùm præcessisse secundum animam: horâ tamen & tempore DEO placente, post mortem & sepulturam resuscitatum, & ita etiam, quoad corpus, in cœlum secutum fuisse. Augustini egregius est hac

D

de



de re locus, Tract. 124. in Johann. Tom. IX. operum.  
Non enim, scribit, possunt deesse, qui credant (Johannem  
videlicet vivere,) si non desunt qui etiam Mosen asserant  
vivere, quia scriptum est, ejus sepulcrum non inveniri:  
& apparuit cum Domino in monte, ubi & Helias fuit,  
quem mortuum legimus non esse, sed raptum. Quasi  
Mosis corpus non potuerit alicubi sic abscondi, ut prorsus  
homines lateret, ubi esset, atque inde ad horam divinitus  
excitari, quando cum Christo Helias & ipse sunt visi: sic  
ut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt, quan-  
do passus est Christus & post ejus resurrectionem apparue-  
runt multis in sancta civitate. Sed tamen ut dicere coepe-  
ram, si quidam Mosen mortuum negant, quem Scriptura  
ipsa, licet sepulcrum ejus nusquam inveniri legimus, mor-  
tuum tamen esse sine ulla ambiguitate testatur. &c. Circa  
quam apparitionem in monte Thabor factam nonnulla  
adhuc addimus ex Harmonia Chemnitio-Lyseriana c.  
87. p. 965. edit. noviss. lectu non indigna. Sunt enim qui  
putent, eos (Mosen & Eliam) non ex sede beatorum il-  
luc accessisse: sed ad tempus circumposito corpore, &  
imprimis Mosen non proprio, apparuisse. Calvinus  
quoque statuit, hos duos, Dei arbitrio ad tempus in vi-  
tam restitutos fuisse, ut cum Christo in monte colloque-  
rentur. Nos verò firmiter statuimus, eos ex cœlesti A-  
cademia & beata sanctorum vita huc advenisse. Eliam  
enim Dominus, 2. Reg. 2, v. 11. corpore & animâ curru i-  
gneo levavit in cœlum. Mosis verò corpus Deus ipse,  
sepeliisse dicitur, ut sepulcrum ejus nemo cognoverit.  
Deut. 34. v. 6. Sed quia Judas in sua Epistola, *ibidem dicitur*,  
vers. 9, Michaellem Archangelum cum Diabolo de

COR-



corpore Mosis altercatum esse asserit: Ideò plerique inde colligunt, Mosis corpus de sepulchro etiam sublatum & in cœleste gaudium translatum fuisse. Quod à Deo Chrysoſtomus & alii ideò factum existimant, ut ne à Judæis ſuperſtitioni plus nimio addictis, idololatricus cultus ipſi exhiberetur. Cùm ergò duo hi viſi ſint εν δόξῃ in majeſtate, non dubium eſt, peculiari Dei operatione, duorum horum corpora ad hunc actum reſervata eſſe. Ut ſic in hiſce duobus ſanctis cœlitibus, qui glorioſi cum Chriſto glorioſo comparebant, haberemus propoſitam imaginem immortalitatis, æternæ beatitudinis, gloriæque, quæ electis Dei filiis in cœlo parata eſt. Translationem ſive raptum hunc Mosis in Paradifum, *Cornel. à Lapide fictitium eſſe dicit. Conſtat enim, ait, animam Mosis ad limbum Patrum iviſſe, corpus in terra eſſe ſepultum.* Sed ò inanes Jeſuitæ nugas! Corpus Mosis in terra fuit poſt mortem ſepultum: Ergo non fuit iterum à Deo Moſes reſuſcitatus ante reſurrectionem Chriſti & in cœlum translatus. Quod verò de Mosis anima Jeſuita quaſi pro comperto habet, iviſſe nempe illam ad limbum Patrum, id æquè ac limbi patrum ſtructuram ipſam, pro figmento pontificio habemus. Minimè tamen interea improbamus cùm *Cornelii* tùm Pontificiorum & Scholaſticorum, quos ille laudat, *Thomæ de Aquino, Cajetani, Hugonis, Gagnei, Salmeronis* aliorumque expoſitiones, quando ſtatuunt, *voluiſſe Satanam Moſen ſepeliri loco cognito & publico, ut Hebræi in idololatriam proni, cum quaſi Deum & Numen colerent; Michaelem verò obſtiſſe & curaſſe, ut ſecretò ſepeliretur; ſive potiùs defendiſſe Dei rationem, loco privato & Iſraelitis*



elitis incognito ipsum sepelientis. Estque hæc expo-  
sitio non tantum sanctorum nonnullorum Patrum, vi-  
delicet, *Johann. Chrysoستي Constantiniopolitani Epi-  
scopi hom. 5. in Matth.* & hoc vetustioris *Ambrosii, Me-  
diolanensis Episcopi l. 2. de offic. cap. 7.* Sed & egregie  
Diaboli ingenium depingit qui semper eò allaboravit,  
ut amissarum rerum vel diu occultarum inventionem ad  
idololatriam homines impelleret. Exemplo sit popu-  
lus Judaicus *2. Reg. 18, 4.* ubi serpente æneo invento si-  
ve monstrato ad idololatriam Israelitas blandè invita-  
vit. Si quis sequiora tempora respiciat, clara hujus rei  
vestigia deprehendet in Ecclesia pontificia, ubi quoties  
sanctorum reliquias diu desideratas, Diabolus decipien-  
di artifex insignis, simplicioribus monstrat, vel nescio  
quid pro talibus persuadet & obtrudit, toties ad idolo-  
latriam miseros impellit. Atque hoc merito nostrates  
ad hunc locum monere solent. Sed tantum abest, ut  
Pontificii id agnoscant, ut potius in nos, itemque Cal-  
vinianos itidem doctrinale hoc è textu presenti peten-  
tes graviter ob hoc invehantur. Videatur inter alios  
*Salmero disp. uni. in Ep. Jude,* ubi impietatis arguit *Be-  
za* scribentem, *Deum noluisse ut populus Hebraeus intel-  
ligeret ubi esset, ne illi contingeret quod nobis* (loquitur  
de se suisque *Salmero*) *qui ex martyrum corporibus faci-  
mus idola.* Sed rumpitur hîc sermo invidia & tanto ho-  
nore à Christo martyribus exhibito uritur: pergit *Salme-  
ro.* *Beza* causam ipsius socii contra Jesuitam agant. In-  
terea tamen asserere non dubitamus, insignem à Ponti-  
ficiis idololatriam committi circa sanctorum, quos vo-  
cant, reliquias. Suus omninò piis & in vera fide defun-  
ctis,



ctis, inprimis qui benè de Ecclesia meriti sunt, debetur honor, uti à nostratibus passim docetur: at verò talem illorum reliquiis, fictitiis quàm plurimis, exhibendum honorem esse, id est, quod negamus. Quæ verò de discrimine circa piè defunctorum honorem in V. ac N. Testamento anxie affert *Salmero*, falsâ hypothesi nituntur, nec minùs facilè à nobis rejiciuntur, quàm à *Salmerone* sine Scripturæ sacræ fundamento dicuntur. Falsum enim est *Salmeronis* assertum, quòd demum in N. Testamento *aperta sit via cæli à Christo, & animi in Dei gloriam recepti; atque hinc decretum à Deo illorum Sanctorum corpora absque ullo crimine idololatriæ à fidelibus coli, & veneratione suspici, & in summo honore haberi debere, qui noverunt aliud esse, latriâ adorare, quod uni soli DEO prestatur, & aliud honorare, sive venerari, quod prestatur Dei amicis, & servis, quorum corpora tantâ gloriâ suscitata, & immutata cononestaturus est: & hoc ipsum, pergit Salmero, Christus suo exemplo faciendum docuit. Nam post resurrectionem præbuit suum corpus adorandum ab Apostolis, & ab Angelis, & à mulieribus, quas ad pedes osculandos admisit. Christum adoratum fuisse post resurrectionem concedimus lubentes, imò etiam antequam moreretur ac resurgeret ab angelis aliisque piis hominibus adoratum cum fuisse certum est. Sed quæ consecutio? Christus post resurrectionem concessit, ut mulieres ipsius pedes oscularentur, ut corpus ejus adoraretur ab Angelis, Apostolis & mulieribus. Ergò DEUS decrevit, ut in N. T. etiam aliorum sanctorum corpora & reliquiæ religiosè colerentur. Novimus infinitum esse discrimen inter Sanctos & CHRISTUM;*

D 3

etiam



etiam secundum humanam naturam : Sicuti enim huic humanæ naturæ assumptæ divina Filii natura propriam suam gloriam communicat : ita & adorationis cultum CHRISTI corpori esse exhibendum, negari non potest. Sed quis de ullius Sancti corpore glorificato sine blasphemia affirmaverit , quòd sive Filius DEI, sive Pater , sive Spiritus Sanctus propriam suam gloriam isti communicarit. Paucis modò adhuc inquiremus, *quare Michael non ausus fuerit iudicium maledicum Diabolo inferre* (de phrasi hac videatur *Piscator Scholiis in h. l.*) quem tamen probè scivit sine spe impetrandæ salutis lapsum esse, cum spontè per apostasiam à DEO Creatore se averterit ? Respondent Interpp. propterea Archangelum hoc fecisse, quoniam expenderit, Diabolum adhuc esse bonam DEI creaturam , ideoque ei maledicere noluisse. Æquum igitur erat, vult dicere & inde colligere contra Magistratus contemtores Apostolus Judas , & quidem longè magis æquum , Pseudo-Apostolus sive homines illos impios à maledictis illis sive blasphemiiis in Magistratus sibi temperare, & expendere, quòd Magistratus tanquam sancta DEI ordinatio, contumeliis proscindi non debeat , sed propter DEUM honorari, *Vid. Gerhard. Comm. in Post. Petr. cap. 2. pag. 261.* Putant nonnulli , Michaellem sanctum Angelum noluisse os suum conviciis ac blasphemiiis in Diabolum, has effundendo, coinquinare. Addunt alii, in memoriam sibi revocasse Michaellem ipsum Filium DEI, cui tamen summum jus in Diabolum fuit , non maledixisse Satanæ, licèt similiter sibi ille restiterit, sed di-



dixisse saltem : *Increpet te DEUS Zachar. 3, 2.* Quod locum Zachar. 3, 2. concernit, certum est, quod verba ista non creatus aliquis Angelus, sed & ipse Filius DEI protulerit, quemadmodum etiam rectè Johan. Piscator in Scholiis ad h. l. scribit : *pronunciata hæc verba ab Angelo Jehovæ esse, eodemque ipso Jehovâ (videlicet Christo) ad Satanam stantem à dextra Josue summi Sacerdotis.* Johan. Drusius *Lectionibus in Prophet. Zachar. pag. 963.* concedit per *Angelum Domini*, apud Zachar. 3, 1. intelligi CHRISTUM, qui *Angelus Domini vocetur, & DOMINUS simpliciter, i. e. Jehova.* Idem ad vers. 2. pag. 965. *Sanè Christus, scribit, verus est יהוה, idemque Angelus יהוה hoc est nuncius sive legatus Domini.* Pergit : *Qui Michaelem intelligunt, hoc modo excusant. Dicunt Legatum vocari de nomine Principis sui. Ita est sanè, fit sic cum alibi, tum in historia Samsonis.* Periculosa hæc est concessio, multumque habet in recessu, quando de rebus divinis sermo est. Videatur præter alios sæpius laudatus *Dn. D. Gerhardus disputat. Isagog. 12. de Angel. 1. cap. 1. §. 7.* Cautè tamen *Drusius l. c.* subjungit : *Sed Theologi Angelum ibi Christum interpretantur, Credamus ergò Theologis, quibus adversari in his rebus, εχ' όσιον.* Hæc Vir Doctissimus !

In quibus etiam verbis, decentem modestiam redolentibus, hac vice acquiescimus : Ac ita finem imponimus huic nostræ dissertatiunculæ, non quòd nulla restarent adhuc dicenda ; Fuissent enim & alia nonnulla, quæ



quæ hisce forsitan non inutiliter addi potuis-  
sent : sed quia tempore excludimur. Dici-  
mus itaque conclusionis loco, cum *Augusti-  
no, Tom. III. Operum. Lib. de Agone Chri-  
stiano, pag. 292. lit. C. Istâ fidei simplicitate  
& sinceritate lactati, nutriamur in CHRIS-  
STO, & cum parvuli simus, majorum cibos  
non appetamus, sed nutrimentis saluberrimi-  
nis crescamus in CHRISTO, accedentibus  
bonis moribus, Christianâ justitiâ, in qua est  
charitas DEI & proximi perfecta & fir-  
mata : Ut unusquisque nostrum (sicut Mi-  
chael Archangelus) de Diabolo inimico, &  
angelis ejus triumphet in semetipso in CHRIS-  
STO, quem induit ! Cui, ut Angelorum  
Domino & CREATORI sit Laus, Ho-  
nor, & Gloria in sempiterna  
secula !*

F I N I S.



Umg. VI 19

ULB Halle 3  
 003 144 232



TA 20L  
 SR. 124: AMN: 00

VD 17 Z









QUOD DEUS BENE VERTAT!  
**MICHAELIS**  
**ARCHANGELI**  
**CUM DIABOLO DE CORPORE**  
**MOSIS CERTAMEN.**

EX DECRETO

*Plurimum Reverendæ, Amplissimæ & Specta-  
 tissimæ Facultatis Theologica, in Incluta Salana,  
 Ex Epistolæ Judæ versu 9. breviter delineatum*

in

**DISPUTATIONE INAUGURALI**

Quam

SUB PRÆSIDIO

*Viri Spectabilis, pl. Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi*

**DN. CHRISTIANI CHEMNITII**

SS. Th. Doct. & P. P. in Academia Jenensi celeberrimi, Col-  
 legii Theol. h. t. DECANI, nec non Ecclesiæ & Dioceseos Jenensis  
 Pastoris & Superintendentis Vicarii vigilantissimi,

Dn. Promotoris ac Fautoris observandi,

**PRO LICENTIA**

*Supremos ad eundem in SS. Theologia honores, seu GRADUM  
 Doctoris,*

Publicæ disquisitioni subjicit

**M. JOACHIMUS Secht** / hactenus Ecclesiæ  
 Seehusensis in Marchia & vicinarum; nunc Templi Cathedralis ad  
 S. Michaelis Archangeli apud Lunæburgenses vocatus Pastor,  
 nec non Scholæ & Dioceseos Inspector.

*Ad D. XXXI. Augusti, Anno cl. lxx LIII. Horis ante- ac pomeridianis.*

JENÆ, Typis Caspari Freyschmidii.

